

Numine supero talia geri & confieri: Ut & multis unus imperet, non dico mortalibus, sed Regnis & Provinciis; & in tanta praestantissimorum Principum copia, eorum quorum ista curatio est, tam citò in unum quasi ex compacto suffragia concurrant. Meritò igitur omnes pro tam selecto capite & iustissima vota animo concipere, & palàm de tanta felicitate, quàm nihil in humanis rebus maius & celsius esse potest, venire gratulatum. Ipse quidem ut insolito quodam gaudio animum tentari sensi, ita nihil mihi potius esse debere constitui, quàm ut quo honestissimo possem munere instructus, quamprimum ad Majestatem Tuam aditum gratulabundus molirer. More non tam à Persarum regibus repetendo, quàm omnium gentium animis Naturà docente insito & congenito. Ut enim nulla tam barbara non Deorum suorum aras & delubra aliquà de suo deprompta facultatum particulà honestare fas putat; ita qui à Deis superis proximi, Principes, veluti praesentia in terris numina, & caelorum vicaria eiusdem cultus partem mereri. Quid credemus Casarem? quem solo Deo minorem etiam pia Patrum antiquitas, Publicae lucis caput Philosophae sententia